

1. Carpzov, August: De propinquitate, matrimonio adversaria. 1638.
2. Grosse, Henning: De exceptionibus dilatoriis. 1638.
3. ^{a, b} Grosse, Henning: De rescriptis moratoriis siue induciis quinquennalibus. 1638.
4. Reusner, Ferrius: De liti dummitione, siue laudatione, ut et Nominatione ductoris. 1638.
5. Wendeler, Michael: De justitia. 1638.
6. Grosse, Henning: De successione testamentaria in feudis, rebus expeditariis et gerada. 1639.
7. Gungelius, Albert: De majestate Romani imperatoris. Vulgo: Von dem Ansehen u. Vorzüge eines Römischen Kayzers. 1639.
8. Gungelius, Albert: De eversionibus rerum publicarum. 1639.
9. Strauch, Johannes: De praerogative jurisdictionis. 1639.
10. Taubmann, Christian: De remedio l. si contendat. 28 ff de fidejussoribus.

11. Reumer, Ferencus : De impensis. 1640.
12. Taubmann, Christian : Disputatio I continens
quaestiones forenses ex processu et ordinatione iudic.
vulgo Gerichtsordnung. ... Dr. Johannis Georgii,
Nucis ... et domini scribri ... Desumptas 1640.
13. Wacker, Christophor : De singularibus persona-
rum, ex jure publico et privato. 1640.
14. Reumer, Ferencus : De dilatione moratoria. 1640.
15. Wacker, Christophor : De tutelis. 1641.
16. Reumer, Ferencus : De fato. 1642. 2 Exempl.
17. Reumer, Ferencus : De hospitacione militari,
vulgo Siquartierung. 1643.
18. Reumer, Ferencus : De praemiis et puenis
quaedam exhibitae scriptae. 1643.
19. Reumer, Ferencus : Exercitatio legalis ad Tit. 6
pr § 1 et § 2 Inst. Justiniani Imp. de actionibus
personaribus et reatibus. 1643.
20. Wacker, Christophor : De jure singulari. 1643.

21. Reumer, Ferencius: De mutuo et usura. 1644.
22. Strauch, Augustinus: De locatione et conductu.
1644.
23. Suerus, Gottfried: De deposito et sequestro. 1644.
24. Suerus, Gottfried: Theoria juridica contractuum realium nominatorum. 1644.
25. Suerus, Gottfried: De jure non scripto. 1644.
26. Suerus, Gottfried: Theses Fustianae. . . .
Fast. Imperialium velitationibus ~~XX~~ excursus.
1644.
27. Taubman, ^{Christian} Johann: Disputatio III continens quaestiones forenses, ex processu et ordinatione Judicis vulgo Gerichtsordnung. Johanni Georgii, Ducis et Elect. Sae. Desumptas. 1644.
28. Taubman, ^{Christian} Johann: Disputatio V. continens quaestiones forenses ex processu et ordinatione Judicis vulgo Gerichtsordnung. . . . Johanni Georgii, Ducis et Elect. Sae. . . . Desumptas. 1644.
29. Taubman, Christian: Disputatio II continens quaestiones forenses ex processu et ordinatione Judicis vulgo Gerichtsordnung. . . . Johanni Georgii, ducis et Elect. Sae. . . . Desumptas. 1644.

30. Tubmann, Christian : Disputatio XVIII de actibus
notus ad Tit. 6. 7. 8. 9. 10. 11. et 12 lib. 10. Institut.



DISPUTATIO JURIDICA 2a
DE
ININTEGRUM

RESTITUTIONE MINO-
RUM XXV. ANNIS:

QUAM,
DIVINA ADSPIRANTE GRATIA,
PRÆSIDE

AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO
VIRO,

DN. HENNINGO Grossen/

JC.^{TO} CL. P. P. & c. PRÆCEPTORE 5/2
ET PROMOTORE SHO PL. HO.
NORANDO,

IN AUDITORIO JC.^{TORUM} ILLUSTRIS
ACAD. WITTEBERGENSIS

AD DIEM V. APRIL. HORIS A VII. MATUTINIS
PUBLICE VENTILANDAM
PROPONIT

LUDOLPHUS vom Code
HANNOVERA-BRUNSVIG.

WITTEBERGÆ
EXCUDEBAT AMBROSIUS ROTHUS ACAD. TYPOGR.
ANNO clō 13 CXXXVII.



*AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO VIRO,*

*DN. JOHANNI CAM-
MAN, JC.^{TO} CL. AMPLISSIMÆ
REIPUBL. BRUNSVICENSIS SYNDICO
PRIMARIO &c. AFFINI, PATRONO ET
PROMOTORI SUO OMNI OBSERVAN-
TIÆ CULTU PROSEQUENDO:*

UT ET

*CLARISSIMO ET PRÆSTANTIS-
SIMO VIRO,*

*DN. ALBERTO Sobben/ J. U. C.
&c. AFFINI, FAUTORI ET AMICO
SUO OFFICIOSE COLENDO,*

PRIMA HÆC STUDIORUM PUBLICA EXPERIMENTA

OBSERVANTIÆ ET GRATITUDINIS STUDIO

EXHIBET ATQUE DEDICAT

LUDOLPHUS vom Sode.

THESIS I.

Restitutio in integrum in Ju-
 re non rarò generalem habet signi-
 ficationem, & diversis materiis applica-
 tur, ut patet ex l. ab emtione 58. ff. de pactis:
 ex l. cum autem 23. §. 7. & l. facta 60. ff. de edil.
 edict. ex l. decernimus 16. C. de Sacrosanct. Ec-
 cles. propriùs verò faciunt (ut refert Hillig. ad Donell. lib. 21. c. 5.
 lit. B. in not.) restitutionem aliam gratiæ, cùm judicio crimi-
 nali vel famoso damnatis ex solâ gratiâ pœnam remittit, & eos
 in integrum restituit Princeps; olim quoque Senatus l. 1. §. 10.
 ff. de postul. de quâ agitur tit. ff. & C. de sententiam passis & re-
 stitutis: aliam justitiæ, quæ ob justam causam datur: quæ ipsa
 non est uniusmodi. Alia namque civilis est, & ex constitu-
 tionibus descendit, ut in l. Divus 33. ff. de rejudicat. l. 31. ff. de
 jurejur. l. 1. §. ult. in fin. ff. de quest. l. 27. in pr. ff. de pœnis: alia
 verò Pratoria & extraordinaria, quâ Prætor ex officio jurisdic-
 tionis suæ subvenit l. 1. §. 10. ff. de postul. l. 1. ff. de in integr. re-
 stitut. de quâ agitur ff. de integrum restitut. per 7. tit. & C. lib. 2.
 per tit. 33.

II. Hæc verò vel majoribus communis est; vel mino-
 rum 25. annis propria. Utriusq; materia universa insignis est,
 nullâ egens commendatione: ipsa enim se ostendit, teste Ul-
 piano in l. 1. ff. de in integr. restit. & C. de nobilissimo l. 4. in fin. ff.
 de excusat. tur: attamen amplitudine, usu atque dignitate præ-
 pollet ea restitutio, quæ ætate lapsis aut circumventis præstat
 auxilium. Eam igitur, Deo juvante, paucis, pro ingenii te-
 nuitate, per stringere atque publicæ disquisitioni subicere im-
 præsentiarum visum fuit.

III. Vocabulum restitutionis deducitur à restituere:
 quod Varro dicitur quasi retro statuere vel constituere. Est
 autem restituere, in pristinum statum reducere l. 2. §. 43. ff. ne

quid in loco public. seu in eam causam reponere, quæ fuerat ante captionem, ita ac si nullum negotium gestum esset l. videamus 38. §. 4. ff. de usur. Wesenbec. in par. ff. de in integr. restit. num. 3.

IV. Dicitur hæc restitutio plerumque & propriè restitutio in integrum ff. C. per totam hanc materiam; aliquando restitutio integri l. 34. §. 1. ff. de minor: quia scil. quod amissum est, non ex parte, sed totum seu integrum restituitur Hillig. lib. 21. cap. 4. lit. C. in not. aliquando verò simpliciter restitutio l. 11. §. 5. vers. sed hæc res ff. eod.

V. Quò autem eò meliùs restitutio in integrum definiiri possit, sciendum est, eam hac in materiã accipi vel pro petitione restitutionis in integrum, hoc est, postulatione litigatoris, quã is iudicem ad restitutionem impertiendam implorat l. 17. ff. de min. quæ petitio dicitur etiam actio l. non solum 39. §. est C. casus 6. ff. de procurat. l. 2. C. ubi C. apud quem cogn. in integr. ibi: per in integrum restitutionem agendum l. novissime 7. §. 3. ibi: restitutorio agendo ff. quod falso tutore autore gest. esse dic. vocabulo actionis latiùs sumto, quatenus etiam ea continet, quæ non habent juris ordinarii executionem l. pecunia 178 §. actionis ff. de verbor. signif. sed actionum instar obtinent l. actionis 37 ff. de obl. g. C. act. vel pro restitutionis actu l. 24. §. 4. ff. de min. vel pro ipso in integrum restitutionis jure in Rubr. ff. C. de in integr. restitut. C. passim: quæ significatio hic potissimùm spectatur.

VI. Est igitur in integrum restitutio, & quidem minorum 25. annis, auxilium extraordinarium l. 16. in pr. ff. de min. juris Prætorii l. 1. in pr. ff. eod. legitimè implorandum l. 24. §. ult. eod. l. 3. C. eod. quo causã cognitã minor captus l. 11. §. 3. ff. eod. in eum statum, in quo ante læsionem erat, reponitur l. 24. §. 4. eod.

Extraordinarium dicitur, vel quia datur in subsidium, (scil. secundum opinionem Dd. regulariter) ordinario remedio deficiente: aut quia datur contra jus commune l. 35. in pr. ff. de oblig. C. act. quatenus jus commune seu civile strictè sumitur,

mitur,

mitur, ut in l. 7. in pr. §. 1. ff. de just. & jur. & quoad præcepta juris specialia, non verò quoad generalia l. 14. ff. de condict. indeb. aut quatenus ea, quæ jure communi subsistunt, rescindit Hillig. lib. 21. cap. 4. lit. A. in not.

VII. Autor hujus juris est Prætor, qui naturalem æquitatem secutus tutelam minorum suscepit l. 1. ff. de min. Etsi nihil facile mutandum sit ex solennibus l. 7. in pr. ff. de in integr. rest. quanquam etiam naturalis æquitas, si per se contra-hentes intuemur l. ult. §. 1. ff. de pos. suadeat, ut gesta, maximè conventa, serventur l. 1. pr. ff. de pact. attamen ubi totius rei æquitas evidens, quæ ex omnibus personis, aliisque circumstantiis, quæ negotio continguntur, impletur d. l. ult. poscit, subveniendum est d. l. 7. de in integr. restituit. hæc enim est justitia, quæ suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius personæ justiore petitione d. l. ult. ff. de pos. Cum igitur inter omnes constet, fragile esse, & infirmum hujusmodi ætatum consilium, & multis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum: justissimè eis Prætor auxilium præstat, & adversus captiones opitulationem l. 1. ff. de min.

VIII. Competit igitur restitutio ætate capto aut circumvento l. 1. ff. de in integr. restituit. l. 1. §. 2. ff. de min. l. 5. C. b. t. & passim. si ve is adhuc sit minor d. l. 5. §. 1. l. 1. C. si advers. vendit. pignor. si ve major factus fuerit, nondum tamen exacto tempore præstituto l. 2. C. de tempor. in integr. restituit. l. 1. C. Si minor se major dix.

IX. Nihil autem refert, utrum hic minor captus masculus, an femina l. 2. §. 5. ff. de minor. l. 31 ff. eod. t. 2. C. de in integr. restituit. min: liber, an servus: nam & hic in casibus specialibus ad ipsum servum spectantibus restitui potest: utpote si necessarius heres, cum libertate institutus, se miscuerit, restitui potest, ut habeat bonorum suorum separationem l. 7. §. 5. ff. de min. licet non, ut hereditate abstineat l. 57. §. fin. ff. de acquir. hered. At in iis, quæ ipsum dominum respiciunt, servus nullo modo restituitur: quoniam domini persona spectatur, qui sibi debet imputare, cur minori rem commisit l. 3. §. fin. ff. de min.

de min. Etenim, quodcumque servus ita gerit, voluntate domini gerere intelligendus est *l. 4. ff. eod.*

X. Perinde quoque est, si paterfamilias siue filiusfamilias sit: nam & hic ex iis causis, ubi ipsius interest, puta si est obligatus, restitui potest *l. 3. §. 4. ff. de min. tot. tit. C. de filiofam. minore.* Quare etiam in peculio profectitio, id est, adversus contractus gestos ab ipso circa peculium sibi à patre concessum, non quidem quoad obligationem patris, sed quoad obligationem, quâ & ipse filius tenetur *per l. 44. ff. de pecul. l. 57. ff. de judic. l. 39. ff. de obligat. & action. l. 3. §. 4. vers. proinde. ff. de min. restitutionem habet d. l. 3. eod. idemq; multò magis dicendum est in peculio castrensi d. l. 3. §. 10.*

XI. Quod si tamen filiusfamilias minor per SC. Macedonianum tutus est, restitutio cessat *l. 2. C. de filiofam. minore.* Item, si jussu patris mutuam pecuniam accepit: in hac enim causâ non adjuvatur *l. 3. §. 4. vers. si igitur. ff. de min.* cujus rationem *ex gloss. in d. l. 3.* refert Hillig. *lib. 21. cap. 7. lit. F. in not.* quòd quanto majore odio prosequatur lex mutuum dantes sine jussu patris, tanto majore favore dignetur eos, si is fuerit adhibitus, ut contractus ab omni rescissionis periculo tutus servetur.

XII. Quin etiam si minor fuerit homo industrius, decurio, plurium liberorum parens &c. propter hoc restitutionis auxilio non excluditur *l. 2. C. Qui & advers. quos.* Et si namque verisimile non sit, talem facile capi, ubi tamen captus deprehenditur, præsumtio cedit probationi, nullusq; in re certâ conjecturæ est amplius locus *l. 137. §. 2. ff. de verb. oblig.*

XIII. Unde etiam si minor Juris Doctor sit, si tamen extra suam artem, seu in iis, quæ ad Jurisprudentiam non spectant, lapsus fuerit, restitui potest. Quod secus est, si in jure erraverit; quia si hinc restitui vellet, desiderium ejus cum professione pugnaret *arg. l. professio. C. de muner. patrim.* propriam quoque allegaret turpitudinem; cum turpe sit, causas oranti jus ignorare *l. 2. §. 43. ff. de orig. jur. Bocer. cl. 6. disp. 10. lb. 49. Hillig. lib. 21. cap. 11. lit. B. in not.*

Non

XIV. Non solum autem minor, majorve factus, sed ejus quoque successores, etsi sint ipsi majores, ex personâ defuncti in integrum restitutionem habent *l. 6. ff. de in integr. restitut. l. 18. §. fin. ff. de minor. l. 1. C. si advers. dotem. l. 4. C. de tempor. in integr. restitut.* Est enim hoc beneficium mixtum, quia partim personæ, partim rei seu læsionis contemplatione datur. *Mynsing. cent. 4. observ. 18. & 19.* Unde quoque fidejussori, qui minori heres extitit, obligatione fidejussoriâ per additionem extinctâ, tanquam heredi restitutio datur *l. 95. §. 3. in fin ff. de solution.*

XV. Sed & is, cui restitutio est cessa, eam ex minoris personâ, tanquam procurator in rem suam, implorare potest *l. 24. in pr. ff. de min. Gothofr. ad l. 25. ff. de admin. & peric. tut. & l. 20. §. 1. ff. de tutel. & ration. distrab. Wesenbec. in parat. C. de in integr. restitut. min. n. r.*

XVI. Etiam pater, licet filius restitui nolit, ejus nomine restitutionem petere potest, si filius quid gessit, ex cujus condemnatione demum pater inciperet teneri de peculio, ut ita obligationem ex causâ judicati orituram evitet *l. 3. §. II. ff. de pecul. l. 27. in pr. ff. de min. Wesenbec. in parat. C. de filiofam. minor. Hillig. lib. 21. cap. 7. lit. N.*

XVII. Quin etiam domino ex personâ liberti in servitute (puta ob ingratitude *l. 2. C. de liber. & eorum liberis. Gothofr. ad l. 6. ff. de in integr. restit. in not. lit. X.*) redacti dabitur intra tempus statutum restitutio in integrum *l. 6. vers. proinde ff. de in integr. restitut.*

XVIII. Ad exemplum autem minorum in integrum quoque restitui possunt Ecclesia *cap. 1. & 2. extr. de restitut. in integr. Lancell. Instit. Jur. Can. eod. & Respubl. l. 4. C. ex quib. caus. major. l. pen. C. de jure Reipub. l. 1. C. de officio ejus qui vic. alic. judic. vel Pras. obi. arg. l. illud 9. ff. de appellat.*

XIX. Nunc videndum, contra quem in integrum restitutio concedatur. Et generaliter dicendum est, dari contra omnem, ad quem per occasionem rei gestæ aliquid pervenit. Primò igitur, & regulariter datur contra eum, cum quo contractum aut gestum est *l. 13. in pr. vers. unde ff. de minor.*

II. Ad

XX. II. Ad quem facti emolumentum pervenit, sive
rectâ, ut est is, qui repudiatam à minore hereditatem adiit *l. 7.*
§. 9. & seq. ff. de minor. sive per consequentiam, ut si principa-
lem rem liberavit minor, ubi accessiones unâ sublatae *per l. 43.*
ff. de solut. l. 27 §. 2. ff. de minor.

XXI. Tertiò etiam contra quemcunque rei possesso-
rem, licet cum eo non sit contractum *l. 13. §. fin. l. 15. ff. b. t.*
1. scil. quando secundus emtor sciebat, venditorem habuisse
rem à minore *d. l. 13. §. fin.* *2.* aut venditor non est solvende
d. l. 13. cum l. seq. *3.* vel minoris interest, puta ob probabi-
lem affectionem, rem ipsam potiùs habere, quàm ejus pretium
l. 35. ff. b. t. Hillig. lib. 21. cap. ult. tit. O. in not.

XXII. Datur etiam contra eum, qui per alium, in po-
testate sua constitutum, negotium aliquod gessit. Nam si ser-
vus vel filiusfamil. minorem circumscripserit, pater dominus-
ve, quod ad eum pervenit, restituere justendus est: quod non
pervenit, ex peculio eorum præstare. Si ex neutro satisfiet,
& dolus servi intervenerit, aut verberibus castigandus, aut
noxæ dedendus erit. Sed etsi filiusfamil. hoc fecit, ob dolum
suum condemnabitur *l. 24. §. 3. ff. b. t.*

XXIII. Adversus filiumfamil. quoque majorem, qui
à minore annis mutuam accepit, & SC. Macedoniani exce-
ptionem habet, restitutio competit *l. 11. §. fin. ff. b. t. l. 3. §. 2. ff.*
ad SC. Macedon. magis enim ætatis, quàm SCti ratio habetur
d. §. fin. cum hujus causa odiosa sit *l. 40. ff. de condict. indeb.*
illius verò favorabilis, & in naturali æquitate posita *l. 1. in pr.*
ff. de minor.

XXIV. In heredes quoque datur *l. 6. & 7. C. de in in-
tegr. restitut. min.*

XXV. Nec tantùm adversus privatos restitutio com-
petit, sed etiam adversus Rempubl. *l. 8. ff. de in integr. restitut.*
& fiscum *l. 1. & 2. C. si adversus fiscum. l. in fraudem fisci 45. §.*
fin. ff. de jure fisci. nisi res minoris ob publicas pensitationes
non solutas à fisco solenniter distractæ sint: nam adversus
hanc venditionem minor restitui non potest. *l. 3. C. si propter
public.*

LA II

public. pensitat. l. ult. C. si advers. fiscum. l. 5. C. de fide & jure bast. fiscal.

XXVI. Denegatur autem restitutio contra minorem, si & is æquè læsus, ut si pecuniam creditam perdidit: melior enim est causa ejus, qui accepit, & perdidit *l. 11. §. pen. ff. de minor. l. 34. ff. eod. per regul. l. in pari. 128. l. favorabiliores 125. ff. de R. 7.*

XXVII. Item adversus parentes utriusq; sexus, aut patronos vel patronas, ut iis in omnibus maneat honor illibatus atque intactus *l. ult. C. qui & adversus quos.* Quòd si tamen restitutio petatur contra patrem in eâ re, ubi reverentia ejus non violatur, *ut in casu l. ult. C. de bon. qua liberis.* aut contra alium, quamvis in consequentiam patris factum lædatur, *ut in l. 2. C. si adversus rem judicat. l. ult. C. si advers. donat.* non excludetur *Hillig. lib. 21. cap. 12. lit. S. & seqq.*

XXVIII. Excipitur etiã jure novissimo casus *in Nov. 155.* Ubi filia & adversus matrem & adversus factum ejus in integrum restitutionis jure utitur.

XXIX. Nunc transgrediendum est ad alium articulum, in hac materia amplissimum: & videndum, contra quos actus in integrum restitutio detur; primò quidem in genere, deinde verò in specie.

XXX. Et generaliter datur restitutio adversus **GESTUM CUM MINORE** *l. 1 §. 1. ff. de minor. l. 7. in pr. ff. eod. EX QUO IS LÆDITUR l. 11. §. 3. ff. eod. l. 5. C. de in integr. restit. minor VEL LUBRICO ÆTATIS l. 11. §. 5. ff. de minor. l. 2. C. de filiofam. minore. l. 2. C. si adversus delictum l. 11. §. 4. ff. de minor. VEL ADVERSarii CIRCUMVENTIONE l. 17. l. 44. ff. eod.*

XXXI. Necessè igitur est, ut sit aliquid gestum. **GESTUM** accipitur qualiter qualiter, sive contractus sit, sive quid aliud contigit *d. l. 7.* Continet enim non tantùm quicquid est actum, sed etiã omissum *per l. pen. C. de in integr. restit. minor. C. tit. si ut omissam hereditatem vel bonorum possess.* Unde etiã edictum, quod est de minoribus, 25. annis, ge-

B

nerale

VL-

nerale appellatur. l. 57. §. 1. ff. de acquir. vel omitt. heredit.

XX XII. Perinde autem est, siue negotium, quod minor gessit, sit proprium, siue alienum: idq; vel ex mandato, vel sponte susceptum: ita tamen, ut minor adversus negotium ex mandato majoris gestum non aliter restituatur, nisi eventu damnum passurus sit; ut quia, quod præstiterit, à domino servare non possit, quia is non est solvendo: aliàs enim hinc restitutionis beneficium cessat, ne majori potius consulatur, cujus damno res sit cessura: qui sibi imputare debet, cur minori rem commiserit l. 23. ff. de minor. maximè cum ignarus ejus conditionis, cum quo contraxit, esse non debuerit. l. 19. ff. de R. J.

XX XIII. Quòd si verò minor suà sponte negotiis majoris intervenerit, restituendus erit, ne majori damnum accidat. Quòd si hoc facere recusaverit: tunc si conventus fuerit negotiorum gestorum, adversus hanc actionem non restituitur; sed compellendus est sic ei cedere auxilium in integrum restitutionis, ut procuratorem eum in rem suam faciat: & possit per hunc modum damnum sibi propter minorem contingens resarcire l. 24. in pr. ff. de minor.

XX XIV. Sed & CUM MINORE gestum esse oportet l. 1. §. 1. ff. de minor. Quo persona notatur, quæ gessit, & tempus, infra quod gessit. Persona, quæ huic restitutioni locum facit, est minor.

XX XV. Nihil autem impedit restitutionem in integrum, siue solus gesserit minor, siue aliorum interveniente auctoritate; ut tutoris vel curatoris l. 29. in pr. ff. de minor. l. 4. C. si advers. rem judicat. l. 2. C. si tutor vel curator interven. vel magistratus; si ejus decreto res vendita. l. 2. C. de fidejuss. minor. l. 1. C. de pred. minor.

XX XVI. Sed etsi non per se gesserit, sed per alium, CUM MINORE gestum esse dicitur l. 3. §. 1. ff. quib. ex caus. in poss. est. ut si cum solo tutore aut curatore fuerit contractum d. l. 3. §. 1. C. 2. Quemadmodum enim ii minoris nomine con-

ae contrahunt: ita horum operâ & ministerio minor juris f-
ctione actum ipsum celebrasse dicitur. *Hillig. ad Donell. lib. 21.*
cap. 11. lit. N. in not. ex Maur. c. 147. n. 3. quare & adversus ge-
sta ab his restitutio dabitur. *l. 3. l. ult. C. si tut. vel curat. in-*
terven.

XXXVII. Neque interest, utrùm hi in culpâ hæreant
l. 45. vers. Imperator ff. de minor. an eadem vacent *l. 47. in pr.*
ff. de minor. Quòd si tamen res minorum fortuitis casibus sub-
jectas vendiderint, minori adversus emtorem non est succur-
rendum: nisi aut sordes, aut evidens gratia tutorum vel cura-
torum doceatur *l. 7. §. 8. ff. eod.*

XXXVIII. Nihil quoque refert, solvendo sint, necne.
Nam licet personali actione ab his minores suum consequi
possunt: nihilominus tamen restitutio in integrum competit.
l. 3. C. si tutor vel curat. interven. Liberum namque iis est, tuto-
res vel curatores prius convenire *l. 45. ff. de minor.* vel contra
tertium restitutionis jure uti *l. ult. C. si tutor vel curat. interven.*
Et si unâ viâ suum consecuti non sunt, alterâ persequi pote-
runt *d. l. ult. ibi: nullo prejudicio.*

XXXIX. Diversum autem est, si tutorum vel curato-
rum desidia triennium, ad persequendam litem constitutum,
fuerit elapsum, & minores causâ ceciderint: Nam tum nec-
esse habent, tutores vel curatores convenire. Et si horum
non sufficiat substantia, tunc in id, in quo fuerint detrimen-
tum perpeffi, placuit in integrum restitutionis auxilium eis su-
peresse *l. proponendum 13. §. fin. C. de judis.* ut scil. aliquis li-
tium sit finis. *l. ult. in pr. ff. pro suo.*

XL. Cum minore item gestum dicitur, etsi cum ejus
procuratore legitimè constituto alius egerit: nam & ex hujus
contractu dominus à tertio conveniri potest, licet utili saltem
actione *l. 13. §. 25 ff. de action. emti & vendit.* quare & adver-
sus id, quod cum procuratore minoris gestum fuerit, restitui-
tio in integrum minori competet: non aliter tamen, quàm si
ejus mandato gestum fuerit, nec à procuratore servari res pos-
sit. *l. 13. ff. de minor.* Unde adversus contractum institoris, ex

quo dominus obligatur & convenitur *l. 1. ff. de institor. action.*
ætatis auxilio causâ cognitâ uti potest *l. 11. §. 1. ff. de instit. act.*

XL I. Cum minore quoque gestum interdum dicitur, quod à Prætorè aut iudice factum est. Nam pignus iudiciale etsi fiat ex autoritate iudicis, eademq; distrahatur, perinde tamen habendum, ac si à minore factum esset. Nam in vicem justæ obligationis succedit autoritas jubentis *l. 1. C. si in caus. judicati:* & ut vulgò, factum iudicis, factum partis habetur: ut ita pignus constitutum ab ipso minore intelligatur *Hillig. lib. 21. cap. 9. lit. N. in not.*

XL II. Hinc liquet, propter contractum, quem ipse minor non celebravit, sed defunctus, isq; major, licet ei minor successerit, restitutionem hanc non dari: ut si creditor pignora à defuncto obligata suo jure distraxit *l. 2. C. si advers. vendit. pignor.*

XL III. Tempus, intra quod negotium gestum esse debet, ut restitutio detur, est omne id, quod ætatem minorem continet *l. 1. C. si minor se major. dix.* Ætas autem minor Jure Civili extenditur ad vicesimum quintum annum: at pro diversâ ratione non ubiq; eodem modo. Tempus enim interdum civiliter numeratur. *l. 134. ff. de verbor. signif.* interdum verò naturaliter; & priore quidem modo annus quandoq; pro completo habetur, incipiente, non exacto, die ultimo *d. l. 134.* quandoq; verò annus inchoatus pro pleno accipitur; ut in honoribus: quod favoris causâ constitutum est *l. 8. ff. de muner. & honorib.* Hic autem tempus, propter commodum ejus, de quo agitur, naturaliter est intelligendum, & à momento in momentum spectandum: & ita restitutio erit propter captionem ultimo vicesimi quinti anni die, etiam ante horam, quâ natus quis est, contingentem *l. 3. §. 3. ff. de minor.* Qui igitur ultimum anni vicesimi quinti diem nondum complevit, adhuc minor; qui verò exegit, major seu perfectæ ætatis dicendus est.

XL IV. Quòd si minor veniam ætatis impetraverit, de his, quæ ante impetratam veniam gessit, intra tempus jure præsti-

præstitutum, restitutionis auxilium habet *l. 5. in pr. C. de tempor. in integr. restitut.*: quæ verò post eam in rerum propriarum administratione (non alienatione rerum immobilium. *l. 3. C. de his qui veniam aetat.*) perperam gesta sunt, restitutionem non admittunt: ne hi, qui cum eis contrahunt, principali autoritate circumscripti esse videantur. *l. 1. C. de his qui veniam aetat.*

XLV. Jure Saxonico is, qui annum vicesimum primum excessit, pro majorenni habetur. Consequens igitur est, ut, in quibus ante eum annum completum quis fuerit captus, intra quadriennium, quod hîc anno 25. terminatur, eò jure restitutionem habeat. *Schneidv. in §. rursus. Institut. de action. n. 72. Wesenbec. in parat. ff. de minor. n. 3.*

XLVI. Ergo contra actum post majorennitatem, quamvis in quadriennio præstituto, gestum, nulla restitutio est *l. 19. vers. diversum ff. de novat. & delegat. l. 1. C. si advers. rem judicat.*

XLVII. Speciale est, quòd suus heres adversus factam repudiationem in quadriennio post majorem ætatem, restitutionem intra triennium, quod post impletum illud quadriennium incipit currere, habeat *l. ult. vers. fin autem C. de repudiand. heredit.*

XLVIII. Illud quoque speciale est, quòd etiam ad damnum, ante nativitatem minoris contingens, restitutio detur, ut si quis priùs, quàm nasceretur, usucaptum amisit *l. 45. ff. de minor.* Cujus ratio est, quia, quoties de commodo ipsius partus agitur, is qui in utero est, pro jam nato habetur *l. 7. & ult. ff. de statu hominum.*

XLIX. Non autem quicquid minor gessit, contra id restitutio dabitur *l. 44. ff. de minor.* sed ita, si ex eo est LÆSUS *l. 11. §. 3. ff. eod.*

L. Læsiō autem æstimanda est non ex postfacto, ut si rem justo pretio minor ex necessitate vendidit, cujus valor crevit; quia pretia rerum subinde mutantur: sed tempore negotii gesti. Hujus autem initio adfuisse intelligitur, si vel

Statim damnum acceptum, vel ejus periculum inconsultè susceptum est: hic enim metus damni futuri, quantumvis incerti, & præsens, & per se læsio est. *Hillig. lib. 21. cap. 9. lit. A. in not.* ut si minor in arbitrum compromisit & stipulatus est: adversus quam obligationem jurè restitutionem desiderat *l. 34. §. 1. ff. de minor.*

L I. Porro sufficit, damnum subsecutum esse, etiam si vel fato id fiat: ut si minor adiit hereditatem, in qua res erant multæ mortales, vel prædia urbana, æs autem alienum grave: & mancipia de mortua sint prædiaq; ruerint &c. *l. 11 §. 5 ff. h. t.* vel ex eventu contingat, & occasione saltem contractus; veluti si minor pecuniam mutuo acceptam imbecillitate sua perdat (non fato amittat) *l. 27. §. 1 ff. h. t. l. 95. §. 3 ff. de solut.*

L II. Diximus, quatenus ob damnum, vel in ipso contractu præsens, vel contractum subsequens, restitutio detur: nunc videndum, qualis & quotuplex sit læsio, huic restitutioni locum faciens. Læsus igitur dicitur minor: si, quod habuit, amisit *l. 44. ff. h. t.*; sive amissio sit rerum corporalium *l. 27. §. 1. l. 49. ff. eod.*; sive incorporalium & jurium; ut obligationum *l. 27. §. 2. & 3. eod.* & actionum *l. 45. eod.*: nam & his amissis bona diminuuntur *l. 1. §. 7. ff. si quid in fraud. patroni fact.*: si, quod acquirere emolumentum potuit, omisit *d. l. 44. h. t.* quia & lucrum omissum damnum dicitur § 10. *instit. de l. Aquil.*: si se oneri, quod suscipere non necesse habuit, obstrinxit. *d. l. 44.*: si eius interest, habere possessionem, propter probabilem ad rem affectionem: veluti quòd res majorum ejus fuisset *l. 35. ff. eod.* Nam in quâ domo defecit pater, minor crevit, majorum imagines, aut non videre fixas, aut refulsas videre, satis lugubre est *l. 22. vers. nec verò C. de administr. tutor.* si interest minoris, litibus & sumtibus non vexari *l. 6. ff. de minor.*

L III. Cæterum quòd dictum est, minores ob emolumentum, quod acquirere potuerunt, omissum, restitui posse *l. 44 ff. h. t.* illud est, quod dicitur, in lucro minoribus succurri *l. 7. §. 6 & 8 ff. eod.*: ut si quis repudiavit hereditatem *tit. C. si ut emiss. hereditat.* legatum, optionem; dum in optionis legato elegit

elegit deteriore[m], vel si duas res promisit, illam, aut illam, & pretiosiore[m] dedit *d. l. 7. §. 7. ff. de minor.*

LIV. Hinc etiam quaesitum est: si res ejus venierit, & existat, qui plus liceatur: an in integrum propter lucrum restituentus sit: & quotidie Praetores eos in integrum restitunt, ut rursus admittatur licitatio *d. l. 7. §. 8.*

LV. In lucro ergo minor restituitur: non tamen odioso & poenali: quod scilicet tantum in poenam & odium adversarii, seu vindictae & ultionis gratia petitur: ideoque injuriarum judicium semel omissum repeti non potest *l. 37. in pr. ff. de min.*

LVI. Dispiciendum nunc, quanta debeat esse laesio, ob quam restitutio in integrum tribuatur. Et quidem propter damnum enorme eam dari constat. Sed utrum etiam ob modicum & minimum? Communis opinio Dd. est, pro re minima vel etiam modica restitutionem indistincte non dari *Hillig. saepe cit. lib. 21. cap. 9. lit. L. in not.* Contrarium tamen, dummodo majori rei aut summae non praedudicetur, verius per *l. 4. ff. de in integr. restitut. l. 9. in pr. ibi: Et puto interdum ff. de min. arg. l. 2. C. qui Et advers. quos: ibi: nisi vel ex magna causa l. 27. §. 1. ff. de minor. ibi: si minore pretio. l. 6. ff. b. r. verbo, aliquid;* quod verbum etiam in minimo, ut loquuntur, verificatur per *l. 71. §. 7. ff. de acquir. hered. Item arg. l. 22. in fin. ff. de damno infecto. Hillig. dict. lib. 21. cap. 9. lit. L. ibiq. not. Et cap. 12. lit. P.*

LVII. Exceptae vero sunt duae species, quae grande damnum requirunt: I. cum pignora ex causa judicati *l. 9. in pr. ff. de minor.* vel ex conventionem contrahentium distracta sunt *l. 1. C. si advers. vendit. pignor.* (ita tamen ut fraus cum emtore non sit participata *l. 2. C. de praeiud. Et aliis reb. minor.*) Ratio hujus a *Mudao ad d. l. 1.*, ut refert *Hillig. d. cap. 9. lit. O. in not.* communis haec redditur: ut facilius inveniant minores, qui sub pignore eis credant: & ut creditores, utpote qui regulariter evictionem non debent *l. 1. C. creditorem evictionem pignoris non deber.* facilius emtorem habeant. Illius vero etiam est; quia fiscalis haestae fides facile convelli non debet *l. 8. C. de remissione pignorum.*

II. Si

LVIII. *II.* Si res pupillaris vel adolescentis, quæ servando servari non possit, absq; collusione vendita *l. pen. ff. de minor.* Ratio in necessitate distrahendæ rei, quæ servata corrumpetur *Hillig. d. cap. 9. in fin.*

LIX. Cæterum quæ læsio enormis aut parva dicenda sit, licet hæc interdum ad duos aureos taxetur *l. 9. in fin. § 10. ff. de dolo malo*, hîc arbitrio judicis *arg. l. 1. §. 1. ff. de jure deliber. relinquendū volunt auctores alleg. ab Hillig. d. c. 9. lit. M. in not.*

LX. Sed etsi tanta sit læsio, ut excedat dimidiam partem justî pretii, restitutio in integrum per remedium *l. 2. C. rescind. vendit.* non excluditur: quia restitutio plenior, per quam veniunt fructus à tempore venditionis *l. 24. § pen l. 27. §. 1. vers. item ex diverso. ff. de min.* Nec adversarius supplendo, quod justo pretio deest, rem retinere potest, si fortè intersit minoris, ipsam rem recipere *Hillig. lib. 21. cap. 11. lit. K in not.*

LXI. Ex dictis igitur patet, restitutionem minori non dari, nisi læso. Ne autem in re gestâ lædatur, efficitur (*tradente eod. Hillig. lib. 21. cap. 9.*) duobus modis; scil. vel naturâ rei gestæ; si nihil minori abest: ut si vendidit justo pretio rem, quâ carere potuit: aut is tantundem accepit, ut si donavit, sed antidora accepit: aut amplius nactus est, ut si mutuum accepit, ex quo locupletior est factus.

LXII. Vel Jure, cum gesta in minorum personâ pro infectis habentur *l. 16. in pr. ff. de min. l. in dubium 3. C. de tutore vel curatore, qui satis non ded. tot. tit. C. in quib. caus. restit. in integr. necess. non est:* ubi generaliter probandum est, ubi contractus non valet, pro certo Prætorem se non debere interponere *d. l. 16. §. 3. de minor.* nec enim ejus, quod non est amissum, restitutio esse potest.

LXIII. Hinc etiam, si minor interpellationem omiserit, quominus in bonæ fidei contractibus mora fiat, exindèq; usuræ debeantur *l. 32. in pr. § 1. ff. de usur.* restitutio cessat. Nam in ejus personâ reipsâ, & ex solo tempore tardæ pretii solutionis, absq; interpellatione, mora fit in hisce contractibus & fidei cõmissis ac legatis *l. 3. C. in quib. caus. in integr. restit. necess. nō est.*

Quod

Quod tamen ita intelligendum est, modò sit, cui rectè solva-
tur. Nam si pupillo, non habenti tutorem, solvi non potuit,
non videtur mora fieri. Quid enim potest imputari ei, qui
solvere, etiam si vellet, non potuit. *l. cum quidam, 17. §. si pu-
pillo 3. ff. de usur.* At minore majore effecto mora hæc non
perpetuatur, sed ex interpellatione demum fieri intelligitur
l. Titia Sejo 87. §. 1. ff. de legat. 2.

LXIV. Exempla plura, ubi minor ipso jure tutus est,
sunt in *l. 11. §. 2. l. 16. in pr. §. 1. ff. de min. l. 3. C. eod. l. 46. ff.
eod. l. 4. C. si advers. rem judic. l. 4. C. si tutor vel curat. in-
terven. l. 3. C. de tutore vel curat. qui satis non dedit. l. 2. C. si ad-
vers. donat. l. 3. C. si advers. fiscum §. tot. tit. C. in quib. caus. in
integr. restitut. necefs.*

LXV. Non tamen sufficit, minorem esse læsum; sed
necesse est, ut sit captus LUBRICO ÆTATIS *l. 11. §. 5.
vers. neque enim ff. b. t. l. 2. C. si advers. delictum l. 2. C. de filio
famil. min. id est, ex suâ simplicitate. l. 2. C. qui §. advers. quos.
inconsultâ facilitate. l. 11. §. 4. l. 44. ff. de min. juvenili le-
vitate l. 24. §. 2. ff. eod. fragilitate & imbecillitate judicii l. 1.
in pr. ff. eod. imò magna negligentia requiritur l. 24. §. 1. ff.
eod. VEL ADVERSARIi CIRCUMVENTIONE
l. 17. l. 44. ff. b. t. eâque manifestâ l. 24. §. 1. b. t.*

LXVI. Nullus igitur in integrum restitutioni lo-
cus est, si casu fortuito minor est læsus; cum fortuita nec à
sapiantibus prævideri possint *l. 6. C. de pignerat. act;* & quod
fato contingit, cuivis patri famil, quamvis diligentissimo,
possit contingere *l. 11. §. 5. ff. de min.*

LXVII. Quare si minor sibi servum necessarium
comparaverit, isque mox decesserit, nulla restitutio est: ne-
que enim captus est emendo sibi rem pernecessariam, licet
mortalem *d. l. 11. 4.* aut locupleti heres extiterit: & subito
hereditas lapsa sit, prædiis à mari occupatis, ædibus exustis,
servis mortuis *d. l. 11. §. 5.*

LXVIII. Idem, si juris necessitate quid gessit; ut si divis
sit actiones contra fidejussores: & post litem contestatam
quidam

C

quidam solvendo esse desierunt *l. inter eos* 51. §. 4. ff. de fidejuss.
Non enim deceptus videtur, jure communi usus *d. §. 4. & l. ult. C. de in integr. restit. min. l. nihil censui* 116 § 1 ff. de R. J.

LXIX. Multò minùs restituitur minor, si suo dolo
damnum est passus: cùm errantibus, non etiam fallentibus;
publica jura subveniant *l. 2. C. si min. se major dix.* Nec enim
calliditas, sed infirmitas auxilium meretur *l. 2. § 3. ff. ad SC.
Vellejan:* cùm contra naturalem æquitatem sit, cuiquam
dolum suum prodesse *l. 1. §. 1. ff. dol. mal. & metus except.*

LXX. Nunc videndum est in specie, contra quos actus
restitutio detur: quos distinctionis causâ *ex l. 2. C. si tutor vel
curat. interven. & l. 7. § 4. ff. de minor.* divido in extrajudi-
ciales & judiciales: illòsque *ex l. 9. §. 2. ff. de min.* in contra-
ctus & delicta; contractusque in veros contractus, tum no-
minatos, tum inominatos; quasi contractus; & distractus;
quæq; sunt ejusdem generis: ut ita tota hæc specialis tracta-
tio sit de restitutione adversus contractus, delicta & judicia.

LXXI. In contractibus re perfectis restitui potest
minor adversus mutuum; idque non tantùm à se datum
l. 11. § pen. & ult. ff. de min. l. 3. §. 2. ff. ad SC. Macedon. sed
etiam receptum *l. 7. §. 1. l. 27. §. 1. ff. de min. l. 1. & 2. C. si ad-
vers. credit. l. 2. C. de filie fam. min. l. 95. §. 3. ff. de solution.*

LXXII. Adversus pignus, ejusq; distractionem *l. 7. §.
1. ff. de distract. pignor:* ubi hæc observanda distinctio: ut si
pignus fuit contractum non ab ipso minore, sed à prædeces-
sore ejus majore, etsi aliqua culpa minoris, ejusve tutorum
aut curatorum alienationem præcesserit, nulla sit restitutio
l. ult. C. si advers. vendit. pignor. Quòd si verò pignus ab
ipso minore fuerit natum: si distractum pignus fuerit judici-
ale, restitutioni locus est, modò grande sit damnum *l. 9. in
pr. ff. de min:* sin verò conventionale, itidem requiritur gra-
vis læsio *l. 1. C. si advers. vendit. pign. vel fraus participata cum
emttore l. 2. C. de prædiis & alius reb. min.*

LXXIII. Similiter contra contractus verbis constantes;
ut stipulationem, sive sit principalis *l. 34. §. 1. ff. de min.* sive
accessoris

accessoria, ut in fidejussione, l. 7. §. 3. ff. eod. l. 48. in pr. eod. l. 48. §. 1. ff. de fidejuss. tam pro extraneo d. l. 1. C. de filiofam. min. quàm pro patre d. l. 1. Non tamen restituitur minor paterfamil., si is debitori principali successerit; quia aditione fidejussoria obligatio per confusionem ipso jure perimitur l. 5. ff. de fidejuss. l. 95. §. 3. ff. de solut. Sed etsi filius fam. pro patre aut extraneo intervenerit, eique postea successerit, idem est d. l. 1. C. de filiofam. min. d. l. 5. ff. de fidejuss. C. d. l. 95. de solut: quanquam si extranei hereditatem adierit, restitutio olim locum habuerit, cum nulla alia obligatio (quippe hereditate ne quidem momento in personam filiofam. subsistente, sed patri acquisita, l. placet 79. ff. de acquir. hered.) accesserit, indeque nulla confusio intervenire potuerit.

LXXIV. Sic etiam adversus contractus, qui consensu constant; ut adversus emtionem l. 7. §. 1. ff. de min. l. 27. §. 1. vers. ex quo ff. eod; aut venditionem d. l. 7. §. 1. b. t. l. 24. §. 4. eod. l. ult. C. si advers. vendit. l. 11. C. de pradiis minorum l. 32. §. 4. ff. de administr. C. peric. tut. Quod si verò homo liber, major 20. annis, minor 25., se venundari passus est ad pretium participandum, contra hanc venditionem nulla restitutio est: quoniam res nec capit restitutionem, cum statum mut. t. l. 9. §. 4. ff. de min.

LXXV. Sed & in accessoriis hujus contractus, ut in additione in diem, restitutio locum habet. Nam si minor re, quæ ejus majorum fuit, sub hoc pacto emtâ, tantundem, quantum ab alio postea adjectum fuit, ipse adicere noluit (de quo in l. 8. ff. de addict. in diem) restitui potest: ita tamen, ut id, quod ex licitatione accessit, ipse offerat venditori l. 35. ff. de min.

LXXVI. Adversus locationem aut conductionem arg. l. in fraudem 45. §. fin. ff. de jure fisci. itemque adversus societatem l. 7. §. 1. ff. de min. aut mandatum: quod pro distinctis casibus ita intelligendum est, ut minor restitui possit vel contra mandati obligationem; ut si pro eo quis fidejus

fit l. 13. in pr. ff. de min. vel adversus negotia ex mandato al-
terius gesta (vid. ib. 32.) vel adversus negotia minoris man-
dato gesta (vid. ib. 40.)

LXXVII. Adversus donationem quoque (quæ ipsa e-
tiam consensu constat. §. 2. instit. de donat.) ubi jure subsistit,
ut sunt exempla in l. 1. & 2. C. si advers. donat. in l. 1. §. 2. ff. de
tut. & rationib. distrab. minor restitui potest, si læsus sit in
ipsâ donatione, putâ quia donavit, quod prudentior omnino
non fecisset l. 2. C. si advers. donat. siue in donationis modo.
Nam licet minor donando bona sua deminat, non tamen
in eo imprudenter aut inconsultè semper se gerit: ut si pro-
pter nuptias donaverit; quandoquidem idem quoque pru-
dens paterfamil. major facit: ideòq; nec contra hanc pro-
pter nuptias donationem, si moderata, ætatis auxiliium est
l. 1. C. si advers. donation. At si modus donationem excedit,
meritò propter ejus enormitatem restitutio dabitur l. 4. C.
de inoffic. donat.

LXXVIII. Eodem modo in dotis dictione (quæ jure
novo solo consensu perficitur l. pen. C. de dotis promiss.) minori
subvenitur: siue læsio sit in dotis modo, ut si ultra vires pa-
trimonii, vel totum patrimonium in dotem datum l. 9. §. 1.
ff. de min. l. un. C. si advers. dotem: siue etiam in pactis dotali-
bus l. 48. §. 3. ff. de min.

LXXIX. Sed & cum adoptio consensu fiat l. 5. ff. de
adopt. & emancipat. & ali. mod. quib. patr. pot. solv. quæri hîc
potest, an contra eam restitutio detur: & respondet JC. si
minor 25 annis adrogandum se dedit, & in ipsâ adrogatio-
ne se circumventum dicit, eum restitui debere l. 3. §. 6. ff.
de min.

LXXX. Neque verò solùm datur restitutio contra
contractus nominatos, sed etiam innominatos, ut adversus
permutationem l. Titia cum esset minor 62. ff. de jure do-
cium.

LXXXI. Sed & contra quasi contractus, ut in nego-
tijiis gestis: ubi quidem adversus actionem negotiorum gesto-
rum

rum nulla restitutio est: sed adversus ipsa negotia sponte
pro aliis gesta, ne domino majori damnum accidat, cum
nihil possit ei imputari l. 24. in pr. ff. de min.

LXXXII. Adversus aditionem hereditatis §. extra-
neis §. instit. de hered. qualit. & differ. §. 5. Instit. de eo, cui li-
bertatis caus. bona addic. l. 7. §. 5. & 10. ff. de min. l. 11. §. 5. l. 3.
§. 2. l. 31. ff. eod. l. 57. §. 1. ff. de acquir. heredit. tot. tit. C. si mi-
nor ab heredit. se abstin. vel acceptam bonorum possessionem
d. l. 7. §. 5. ff. de min. l. 1. C. si min. ab hered. se abstin. & versa
vice contra hereditatem vel bonorum possessionem omis-
sam restitutio datur tot. tit. C. si ut miss heredit. vel bonor.
possess. etiam rebus distractis, si suus heres sit l. ult. C. de re-
pud. vel abstin. heredit. At si extraneus jam distracta heredi-
tate, & negotijs finitis, ad paratam pecuniam laboribus sub-
stituti veniat, repellendus est l. 24. §. 2. ff. de minor.

LXXXIII. Sed etsi semel restitutus sit ad hereditatem
repudiatam, potest iterum restitui, ut abstineat l. 7. §. 9. ff.
de min. aut ex diverso si restitutus sit, ut abstineat, potest re-
stitui, ut rursus immisceat l. 2. §. si bonorum possessione 10. ff.
ad SC. Terentilian. Speciale autem quid est in l. ult. §. ult. vers.
non autem. C. de C. de bonis qua liberis. quod filius restitutus, ut
repudiet, iterum, ut a deat, contra patrem non restituatur.
Cujus ratio est reverentia patris, quæ per iteratam minoris
inconstantiam circa iudicium patris laederetur d. §. ult. vers.
si enim quod pater.

LXXXIV. Adversus legati onerosi acceptationem:
nam si minor legatum cum onere, ut servum suum manu-
mittat, relictum agnoverit: cum, licet plus sit in pretio ser-
vi, quam in legato, majorrennis omnimodo manu mittere
teneatur l. generaliter 24. §. si quis 12. ff. de fidei commiss. liber-
tat. minor in integrum restitui potest, ut reddito legato nec-
essitas servi manumittendi remittatur l. 33. ff. de min.

LXXXV. Contra distractus, & quæ sunt ejusdem
generis, restitutio quoque locum habet: ut adversus soluti-
nem; & quidem factam vel à minoris debitore, vel e-

tiam ab ipso minore. Si igitur minor solutione sibi factâ obligationem, quâ debitorem suum tenebat, amiserit, propter damnum inde acceptum restitui potest *l. 1. C. si advers. solut. à tutor. vel à se fact.* Diversum tamen est in solutione ex decreto judicis factâ, quæ ex alio eventu non resuscitatur, sed plenissimam habet securitatem *l. 25. C. de administr. tut. l. 7. §. 2. ff. de min.* Non enim hîc judicis auctoritas est permissiva, sed compulsiva. *Hillig. lib. 21. cap. 11. lit. G. in not.*

LXXXVI. Vice quoque versâ, si minor ex solutione, quam ipse fecit, læsus sit, ut si rem (fortè minoris pretii) ex causâ debiti in solutum dederit *l. 40. §. 1. ff. de min. l. qui res suas 98. §. huic applicatur. 2. ff. de solut.* aut indebitum solverit ex eâ causâ, ex quâ jure civili repetitio non est *l. 25. in pr. ff. de min. l. 2. C. si advers. solution. à tut. vel à se fact.*

LXXXVII. Sic quoque adversus acceptilationem: ubi non solum in ipsum debitorem, sed & in fidejussores, & in pignora actio redditur *l. 27. §. 2. ff. de min:* ut & adversus novationem *d. l. 27. §. 3* aut adversus expromissionem *l. ult. ff. b. r.*

LXXXVIII. Item adversus transactionem *l. 1. §. 2. C. si advers. transact. vel divis. in integr. min. rest.* aut divisionem *d. l. 1. d. t. l. ult. ff. famil. ercisc. l. pen. C. communi dividundo.*

LXXXIX. Quin etiam adversus manumissionem: ex magnâ tamen causâ, & ab ipso principe *l. 9. §. ult. cum l. seq. ff. de min.* Aliàs enim contra libertatem latam nulla restitutio est *l. 7. in pr. ff. de dolo malo l. 48. §. 1. ff. de min. tot. tit. C. si advers. libert.* quamvis indebitè *l. 1. C. eod.* aut dolo servi præstitam *l. 2. §. 3. d. tit:* aliis tamen remediis ad damnum sarcendum, vel contra ipsum manumissum, *d. l. 2.* vel contra curatorem, *d. l. 1.* vel alium, qui manumisit, non exclusis *d. l. 48. ff. de min.* At si nondum libertas competit, adversus

versus competituram restitutio dari potest l. ii. §. i. ff. eod.

XC. Et cum distrahere videatur, qui juri suo renunciat, datur quoque restitutio contra renunciaciones, tam expressas l. 3 § 7 ff de min. l. 7. §. 7. ff. eod. l. i. C. de in integr restitut. min. quam tacitas, ut vocantur ea, quae fiunt decursu temporis d. l. i.

XCI. Sed cum neque omnes praescriptiones contra minores currant, neque omnes ea, quae currunt, restitutionem admittant: haec distinctionibus expedienda erunt. Sunt ergo quaedam praescriptiones legibus introductae, quas legales; quaedam ex conventionibus partium ortae, quas conventionales appellare liceat. In his minorem contra propriam conventionem restitui, indubitatum est: at contra conventionem defuncti, cui ipse heres extitit, non facile eum restitui, probat l. 38. ff. de min. l. 2. C. advers. vend. pignor. Est tamen restitutiōni quandoque locus, ubi ex dispositione ultimae testatoris tempus currit, ut in l. 3. §. 8. ff. de min.

XCII. In legalibus praescriptionibus distinguendum est inter perpetuas, quae 30. vel 40. annorum sunt, & temporales. Perpetuae neque inchoantur contra impuberem, neque, a defuncto caepae, currunt contra eundem, sed contra puberem minorem & inchoantur, & inchoatae currunt l. 3. ibi sed pupillarietate duntaxat l. 7. in pr. ibi atas impubes. §. 1. ibi: aut atas, ut dictum, intercesserit. C. de praescript. 30. vel 40. annor. Et si haec a defuncto caepae, in successore minore pubere completae fuerint, contra eas restitutio datur l. fin. ibi: videlicet exceptionibus 30. vel 40. annorum. C. in quib. caus. in integr. rest. non est nec.

XCIII. In temporalibus distinguimus inter usucapiones proprie dictas, quae ex possessione acquirentis nascuntur, l. 3. ff. de usurpat. & usucap. & praescriptiones, quae ex sola omissione & negligentia amittentis oriuntur.

Contra

Contra usucapiones, quæ à defuncto inchoatæ, in herede minore, sive pubere, sive impubere, finiuntur, restitutio locum habet *l. un. C. si advers. usu cap. l. 45. ff. de min:* at contra minorem, non solum pupillum, sed etiam puberem, etiamsi sint longi temporis possessiones, non inchoantur *l. 3. C. quibus non objicitur longi temporis prescript. l. fin. C. si major factus alienat. fact. sine decreto rat. habuer:* quod idem etiam olim erat in pupillo *l. 48. in pr. vers. nec interest. ff. de acquir. rer. domin. l. 31. in pr. ff. de usurpat. & usucap.*

XCIV. De præscriptionibus verò temporalibus notandum, quòd quædam minoribus (olim & hodie) currant sine restitutione, ut præscriptio 60. dierum objecta accusanti uxorem jure mariti *l. 37. §. 1. ff. de min.* ubi ratio: quia si non calumniatur, cur non recens dolor citius accusationem expressit: præscriptio quinquenii agenti, de statu defuncti *l. si mater 6. C. ne de statu defunctor:* cujus ratio in favore libertatis: quædam currant cum restitutione: ut præscriptio conficiendi inventarii *Nov. 1. cap. 4. §. pupillis:* petendæ bonorum possessionis *l. 2. C. de in integr. restitut. min. l. 2. C. si ut omiss. heredit. vel bonor. possess:* querelæ non numeratæ dotis: *Auth. si minor C. de tempor. in integr. restitut;* sicut quoque currunt præscriptiones judiciales; ut præscriptio triennij ad instantiam finiendam *l. properandum §. fin. C. de judic:* præscriptio temporis ad proseguendam appellationem *l. 1. C. si sepius in integr. restit. postul. Nov. 23. cap. 1. & c.* quædam non currant: ut exceptio numeratæ pecuniæ, & omnes reliquæ temporales præscriptiones, vel olim currentes, sed cum restitutione *l. fin. C. in quib. caus. in integr. restitut. non necess.* vel non currentes, ut præscriptio quadriennij restitutionis causæ ex personâ defuncti præstituti *l. 19. ff. de min. l. fin. §. 1. C. de tempor. in integr. restitut.*

XCIV. Nunc videndum, quomodo minoribus in delictis subveniatur. Et siquidem delictum, in contractu, vel extra contractum, dolo committatur, cessat restitutio *d. l. 9. l. 37. §. 1. b. t. l. 1. C. si advers. delictum.* Neque enim est ætatis excusatio

excusatio adversus præcepta legum ei, qui, dum leges invoecat, contra eas committit *d. l. 37. in fin. nec malorum mores infirmitas animi excusat d. l. 1. C. si advers. delict:* si verò absq; dolo, restitutioni locus est *d. l. 1.*

XCVI. Unde si citra dolum minor vectigal non solverit, in integrum restituitur *l. 9. §. 5. ff. de minor. scil. quoad poenam commissi: nam ipsum vectigal nihilominus solvi oportebit per l. 7. §. 1. ff. de publican. & vectigal.* Si tamen fuerit pupillus, ipso jure tutus est, si intra diem trigesimum vectigal intulerit. *d. l. 7.*

XCVII. Denique in judiciis captus minor auxilium habet, sive, dum agit, sive, dum convenitur, captus est *l. 7. §. 4. ff. de minor. ut adversus condemnationem ex quasi contumaciâ factam l. 8. ff. de min. l. 15. §. 22. ff. de damno infecto: adversus confessionem l. 6. §. 5. ff. de confess: adversus negationem in judicio perperam & in sui præjudicium factam l. 9. §. 2. vers. sed si ff. de minor. l. electio 26. §. neg. 5. in fin. ff. de noxal. action: adversus omittas allegationes l. 36. ff. de minor: adversus omittas ante sententiam exceptiones peremptorias l. 2. C. sententiam rescindi non posse: adversus delatum parti adversæ juramentum l. 9. §. 4. ff. de jurejur: item adversus eremodiciam, l. 7. §. 11. ff. de minor. seu, ut J.C. vocat, litis in judicium deductæ desertionem in primâ instantiâ l. 31. §. 2. ff. de negot. gest: in id tamen tantum, quantum à tutoribus, curatoribus, vel procuratoribus, quorum desidiâ, triennio elapso, minores causâ ceciderint, consequi non potuerunt l. 13. §. ult. C. de judic: adversus sententiam definitivam l. 45. ff. de minor. tot. lit. C. si advers. rem judic. etiam eam, quæ minore jam majore effecto lata est, si modò probetur adversarii dolo eò tempus protractû *l. 3. §. 1. ff. de minor: neque tantum adversus totam sententiam, sed etiam adversus unum ejus caput, si id cæteris litis speciebus non cohæret, l. 29. §. 1. ff. de minor. quia ubi plura capita non connexa, tunc tot videntur esse sententiæ, quot capita arg. l. 29. ff. de verbor. obligat. Hillig. lib. 21. cap. 11. lit. Q. in not: quin etiam adversus duas sententias conformes l. 18. §. 2. ff. de minor.**

D

Non

Non tamen contra sententiam pro libertate latam *l. ult. C. si advers. libertat. l. 9. ff. de appellat.*; quamvis contra eam appellatio admittatur *d. l. ult. § d. l. 9.* At contra sententiam de libertate dandâ restitutio datur *l. 1. C. d. e.* Nec adversus sententiam, quâ semel in integrum restitutio fuit denegata: contra quam tamen superest appellatio *l. 1. C. si sepius in integr. restit. postul.* Quòd si tamen novæ, defensiones afferri possunt, restitutionis auxilium in unâ eademq; causâ iterari potest *l. 2. § ult. d. t.* Benè verò restituitur minor adversus omissam appellationem *l. 1. C. si sepius in integr. restit. l. 7. §. pen. ff. de min.* & ita adversus decendii præscriptionem *auth. hodie C. de appellat.*

XCVIII. Superest, ut dispiciamus, quemadmodum restitutio hæc proponi & obtineri debeat, & possit. Sciendum igitur est, eam non dari, nisi postuletur *arg. l. 25. §. 1. ibi: postulante ff. de minor. arg. tit. 26. 27. 44. § 50. lib. 2. C. arg. l. 4. §. 8. ff. de damno infecto.* Nec enim invito beneficium datur *l. 69. ff. de R. 7.* Peti autem necesse est non extra iudicium, sed in iudicio. Postulare enim propriè hoc dicimus, pro tribunali petere, non alibi *d. l. 4. §. 8. ff. de damno infecto.*

XCIX. Et quidem petere potest non tantùm minor ipse, ut in *l. 25. §. 1. ff. de minor.* autoritate tutoris aut curatoris: sed etiam procurator ejusdem *d. l. 25. §. 1. ff. de minor. l. un. C. etiam per procuratorem § c.* cui tamen ad hoc speciali mandato opus est *d. l. 25.* quia sine eo factum domini mutare ipsi non licet *l. si hominem 30. ff. mandati:* aut si de eo dubitetur, cautione, ratam rem dominum habiturum *l. 26. ff. de min.* Quòd si non principaliter, sed incidenter, restitutio postuletur, mandatum generale sufficit *Myrsing. cent. 2. observ. 26.*

C. Quin etiam conjuncti, quibus aliàs sine mandato agere licet *l. sed § hæc persona 35. in pr. ff. de procurat.* hîc opus habent mandato *l. patri 27. in pr. ff. de minor.* speciali per *d. l. 25. ff. eod:* nisi pater pro filio, (*vid. ib. 16.*) aut persona conjuncta pro adolescente, qui ejus vitæ sit, ut meritò etiam bonis ei debeat

debeat interdici, restitutionem petere velint, quod vel absque mandato facere possunt *d. l. patri. in pr.*

C I. Non tamen in speciali mandato specificatio causæ vel personæ necessaria est. Id enim prævaluisse, idem testatur *Mynsing. d. cent. 2. observ. 26.* etiam si propter grave præjudicium secus sit in casu mandati ad adeundam hereditatem. *l. si quis 25. §. 5. ff. de acquir. hered. & in casu matrimonii l. generaliter ff. de ritu nuptiarum.*

C II. Porrò admittuntur absque speciali mandato tutores & curatores *arg. l. 10. C. de appellat.* sunt enim vice dominorum *l. 157. in pr. ff. de reg. jur. l. qui fundum §. si tutor ff. pro empto l. 56. §. 4. ff. de furt.* Item Syndici seu administratores nomine Reipub. Item Oeconomi ac Prælati Ecclesiæ *Wesensbec. in parat. C. de in integr. restitut. Hillig. lib. 21. cap. ult. lit. A. in not.*

C III. Judex competens in hoc judicio olim erat Prætor: is enim solus in integrum restituebat *l. 1. 3. 5. ff. de in integr. restitut. l. 1. ff. de minor.* hodie verò restituit quilibet judex seu magistratus ordinarius *l. fin. C. ubi & apud quem cognit. in integr.* Sed & magistratus minor seu municipalis in integrum restituere potest *d. l. fin. C. ubi & apud quem.* Est enim magistratus ordinarius cum administratione *l. 53. C. de decurion:* quod in favorem minorum, quò plures habeant iudices, adeoq; faciliùs restituantur, constitutū est *d. l. fin. ibi: sic etenim: quin etiam delegatus; propter rationem in d. vers. sic etenim: & quia is fungitur vice delegantis l. 1. circa fin. & l. 3. ff. de offic. ejus cui mand. & jurisdic. sive hoc specialiter ei fuerit mandatum, sive generaliter datus sit iudex, sive in aliis speciebus incidit quædam quæstio restitutionis d. l. fin.*

C IV. In restitutione contra sententiam hoc peculiare est, quòd magistratus contra propriam, & prædecessoris, & alterius, dummodo non major sit, sententiam restituere possit *l. 16. §. fin. l. 18. in pr. ff. de minor. l. 42. d. t.* Interdum tamen solus Princeps, non alius in integrum restituit; ut adversus rem judicatam à procuratore Cæsaris *l. 1. C. ubi & apud quæ & c.*

adversus sententiam ejus, qui vice Principis judicavit l. 18. §. 3. ff. de minor. l. 3. C. si advers. rem judicat: contra sententiam judicis dati à Principe d. l. 18. §. pen. de minor. ut & in aliis rebus; ut adversus libertatem l. 10. ff. de minor. & c. Si adversus fiscum restitutio petatur, restituit Procurator Caesaris unà cum præside, præsentis fisci patrono l. 2. C. si advers. fiscum.

CV. Non verò restituit arbiter; sive sit compromissarius, sive ex communi sententiâ electus (quæ duo arbitrorum genera distinguit & definit Proculus in l. societatem 76 ff. pro socio) l. fin. C. ubi & apud quem; ne quidem si incidenter restitutionis causa moveatur d. l. fin: quod tamen secus de Jure Canon. cap. 9. extr. de in integr. restitut: itemque subdelegatus d. l. fin.

CVI. Locum seu forum, in quo restitutio peti debeat, quod attinet: & hîc sequenda est regula l. ult. C. ubi in rem act. exerc. deb. & l. 2. C. de jurisdic. omn. judic. actorem, sive in rem, sive in personam sit actio, sequi forum Rei l. 2. §. 3. ff. de judic. Nov. 119 cap. 6. Quare si restitutio petitur ratione contractus, is, contra quem agitur, in loco contractus; vel si ratione distractus, in loco distractus: cum idem sit de distractu, quod est de contractu, judicium l. ab emtione 58. ff. de pact. arg. l. 4. ff. de justit. & jur. conveniri potest l. 2. C. de jurisdic. omn. jud. l. 1. C. ubi de ratiocin; vel si restitutio in rem datur l. 13. §. 1. ff. de minor. in loco rei sitæ l. ult. C. ubi in rem act: vel ubi reus domicilium habet l. 2. C. ubi & apud quem & c. Wesenbes. in parat. C. d. 1.

CVII. Tempus (quod passim tempus statutum appellatur l. 9. §. 4. ff. de jurejur. l. 2. l. 3. l. 7. C. de in integr. restitut. minor. l. 1. C. si min. se maj. dix.) intra quod restitutio tum petitum etiam finire debeat: olim quidem ad petendum erat annus utilis l. 1. ff. de minor: at hodie pro eo præstitutum est quadriennium continuum l. fin. C. de tempor. in integr. restit. l. ult. C. de repud. hered: quod, ubi cepit currere, semper continuatur, nec interruptitur, etsi dies incideret, quo non liceat experiri. Hillig. lib. 21. cap. 10. lit. T. in not. Attamen non currit,

ubi

ubi interuenit legitima causa aut impedimentum *d. l. fin. §. 1. C. de tempor. in integr. restitut.*; utputa quòd Reip. causa abfuerit *d. §. 1. l. 1. C. eod.*: quòd nondum hereditatem adierit *l. 5. §. fin. C. eod.* nec enim currit præscriptio non valenti agere *l. 1. C. de annali except.*

CVIII. Unde propter impedimentum ignorantia, non currere quadriennium Dd. statuunt, omniumq; communis sententia est, ut ex *Oddo, Gail. Cald. Sc. refert. Bachov. in not. ad Treutl. vol. 1. disp. 11. th. 3. lit. B: quam & sequitur Wesenb. in parat. C. de tempor. in integr. restitut.* Cùm enim hoc quadriennium ex eo die numeretur, ex quo annus utilis currebat *l. ult. in pr. C. de tempor. in integr. restitut.* & ex omni causâ, ex quâ veteribus legibus annus utilis non currebat, nec hoc quadriennium (*scil. ab initio*) currat *d. l. ult. §. 1* cum Dd. idem de quadriennii cursu dicendum erit: nec n. olim propter ignorantiam tempus utile currebat *l. annus 6. ff. de calumniat. l. 55. ff. de adilit. edict. l. 2. in pr. ff. quis ordo in possessionib. seruetur*; sicut & tempus ad appellandum datum, quod ab initio tantùm utile est *l. 1. §. 7. ff. quando sit appellandum, ibiq; Gothofr. non currit, nisi scienti l. ab eo 3. C. quomodo & quando iudex.* Non tamen idcirco dissolutam ignorationem excusare putamus *d. l. 55. l. 6 ff. de jur. & fact. ignor. d. l. 2. §. fin ff quis ordo in possess. serv.* Nam præsumta scientia sufficit, ut tradunt *relati ab Hillig. d. c. 10. lit. T. in not.*

CIX. Prædictum verò quadriennium pro varietate personarum quæ restituantur, diversimode currit. Minoribus numeratur ex die primo anni 26. in diem extremum anni 29. *l. ult. C. de tempor. in integr. restitut.* vel ex die, quo insinuauerunt ætatis veniam *l. ea qua 5. in pr. ff. de tempor. in integr. restit.*

CX. In personâ heredum, quibus in integrum restitutionem competere suprâ dictum est, quomodo id quadriennium currat, per distinctionem ex ipsarum personarum differentiâ æstimandum est. Si enim minor minori heres extiterit, integrum quadriennium erit minori præstandum: quod illi currit à tempore, quo erit ætatis perfectæ *l. 19. ff. de min. l. 5.*

§. 1. C. de tempor. in integr. restitut. Cùm verò minor successerit majori, tantum temporis habebit, quantum defuncto tempore mortis residuum erat d. l. 5. §. 2. C. eod. d. l. 19. vers. planè: quod tamen minori heredi non currit, nisi à die quo major factus erit d. l. 19. Quòd si major minoris successionem fuerit adeptus, heredi ex personâ defuncti quadriennium est dandum: quod mox cùm adita fuerit hereditas, currere incipit l. 4. l. 5. §. fin. C. de tempor. in integr. restitut. Denique si major majori successerit, heres id tempus habebit, quod defuncto tempore mortis supererat.

CXI. Ecclesiæ & Reipub. quæ funguntur vice minorû idem quadriennium præstitutum est: idq; currit à die læsionis, cap. 1. §. 2. in 6. de restitut. in integr. Hillig. lib. 21. cap. 10. lit. T. in not. Si enim restitutionis periculum semper remaneret, nemo cum iis contraheret: quod ipsum Ecclesiæ aut Reipubl. magno incommodo esset; ut dicitur de minoribus l. 24. §. 1. ff. de minor.

CXII. Et intra hoc quadriennium petenda quoque est restitutio, etiam si per viam exceptionis opponatur l. 9. §. 4. ff. de iurejur.

CXIII. Tempus, intra quòd restitutio terminari debeat, quod attinet, idem illud quadriennium est l. ult. C. de tempor. in integr. restitut.; sicut olim quoque intra annum utilem in integrum restitutionis causa non tantùm proponenda, sed etiam finienda erat l. 5. in pr. C. eod. l. 39. ff. de minor. Secus tamen, si adversarii facto contigerit, ut lis intra præstitutum tempus finem non acceperit. d. l. 39. Idem, si per Judicem steterit. Myr. sing. cent. 1. observ. 51. ubi idem testatur in Curiâ Imperii Spirensis restitutionis litem etiam longo post quadriennium intervallo sæpius esse decisam.

CXIV. Speciale est, quòd minor contra omissam querelam non numeratæ dotis ad restitutionem habeat duodecim annos à tempore nuptiarum: eo verò intra prædictum tempus mortuo, ejus heres major annum tantùm; minor autem
tem

tem quinquennium, quod etiam in minori ejus ætate currit.
Auth. si minor. C. de tempor. in integr. restitut.

CXV. Speciale quoque est, quod suus heres adversus hereditatem repudiatam triennium habeat post transactum quadriennium ad restitutionem hujusmodi petendam *i. fin. C. de repud. heredit.*

CXVI. Modus procedendi in restitutione in integrum est, ut quamvis potius sit imploratio officii judicis, quam actio *l. 24. §. fin. ff. de min.*: peragatur tamen solenni judiciorum more (scil. ubi principaliter & non incidenter petitur *Myns. cent. 4. obs. 21.*) *l. 45. vers. Imperator. ibi. agere ex integro ff. de minor. Wesenb. in parat. ff. de in integr. restitut. n. 5. & C. eod. n. 4.* & causa plenè cognita *l. 3. l. 8. ff. de in integr. restit. l. 11. §. sciendum l. 44. ff. de min. l. 3. C. de in integr. restitut. min. l. 1. C. si adversus solut. à tur. vel à se factam l. 3. C. si min. se major. dix.*

CXVII. Hinc necessaria est citatio partium, hoc est, omnium eorum, quorum interest, restitutionem non concedi *Auth. si omnes. C. si minor ab hered. t. se abstin. l. un. C. si advers. dotem. l. 13. in pr. circa fin. ff. de minor. l. 29. §. fin. ff. eod. libellus Mynsing. cent. 1. observ. 49. Wesenbec. in parat. C. de in integr. restitut. minor. n. 4: litis contestatio. l. 20. §. 1. ibi: contestatus. ff. de minor. l. 34. §. 1. ff. de minor. l. ult. in pr. circa fin. C. de tempor. in integr. restitut. probatio: & denique sententia. l. 1. C. de offic. Prator. l. 29. §. ult. ibi: decretum interpositum. ff. de minor. l. 2. ibi: restituti autem decreto C. si ut omis. hered. vel bonor. possess.*

CXVIII. Ut autem unusquisq; debet probare id, quod est fundamentum suæ intentionis *l. in exceptionibus. ff. de probat.* ita & minor ad restitutionem in integrum obtinendam præcipuè duo probare tenetur; scil. minorem ætatem, in quâ quid gestum est *l. 39. in pr. ff. de min. l. si minorem. C. de in integr. restit. min. l. 3. C. si min. se maj. dixer.*, & damnum ex eo gesto consecutum *l. 5. C. de in integr. restit. min. l. 1. C. si advers. vendit. pignor.* Nec enim utique qui minor est, statim & circumscriptum se docuit *l. 9. §. 4. ff. de jurejur. Wesenbec. in parat. ff. de min. n. 7. & C. eod. n. 4. Mynsing. cent. 4. observ. 16.* Neque verò aliud in mu-
tuo

rius (nisi pecunia consumpturo credita sit l. 24. §. 4. ff. de minor.)
dicendum videtur. *Wesenbec. in parat. C. si advers. credit. Hillig. lib. 21. cap. 10. lit. Cc. in not.* Cum enim se minor in eo,
quod pecunia in rem suam non sit versa, sed temere consumpta,
fundet, utique id, ut aliàs l. 5. C. de in integr. restitut. minor.
d. l. 9. §. 4. ff. de jurejur; & ut quilibet l. 2. ff. de probat. l. in exceptionib. ff. eod. probabit; siquidem etiam quis locupletior
factus præsumitur l. cum de indebito. 25. in pr. eod; & res extarre,
ad quem semel pervenit, nisi consumpta vel amissa probetur.
arg. l. si creditor 5. C. de pignorat. act. Facit quoque, quod
JC. ita limitet: si creditor sciens minori consumpturo pecuniam
dederit. in l. 24. §. 4. ff. de minor. Dd. tamen tria minori
probanda volunt; scilicet etiam lubrico ætatis eum esse lapsum.
Sed secus statuunt *Wesenbec. cit. loc. Mynsing. d. cent. 4. observ. 16. Hillig. lib. 21. cap. 10. lit. Aa. ibiq; not.* Id enim in
dubio, seu ubi econtrario alia læsionis causa non probatur, ex
cæterorum probatione sequitur: ætatis enim imbecillitas naturâ
huic ætati adjuncta est: & inter omnes constat, fragile esse,
& infirmum hujusmodi ætatis consilium, & multis captationibus
suppositum, multorum insidiis expositum l. 1. in pr. ff. de minor.
Quidam etiam quartum addunt; scilicet tempus petendæ restitutionis
in integrum non esse lapsum. Sed id reprobatur *ait Mynsing. cit. loc.*
temporis enim probatio ex probatâ ætate & tempore rei gestæ
sponte sequetur. Quod si verò ex probatâ ætate tempore negotii
non inferatur necessariò, tempus præstitutum nondum exiisse:
veluti si non definitè ætas probata sit, sed in genere, quod minor
fuerit: adversarius, si tempus præterlapsum opponat, secundum
l. in exceptionibus ff. de probat. id probare necesse habet, ut in
l. 4. C. de in integr. restitut. minor. *Mynsing. d. observ. 16. Hillig. d. cap. 10. lit. Bb. ibiq; not.*

CXIX. Probatur verò ætas; vel testibus, qui erunt
obstetrices *arg. l. 3. §. 5. ff. de Carbon. edict. Gotbofr. ad l. 13. in not. lit. m. ff. de probat. tutores l. 7. C. de in integr. restitut., vicini, arg. l. 9. C. de nupt; vel instrumentis l. 2. C. de his, qui ven.*
ant.,

et al., ut scripturâ nativitatâ l. 2. §. 1. ff. de excusat. l. 1. C. ff. min. se major. dix, libro plebani (Zauffbuch) Treutl. vol. 1. disp. II. th. 8. Et quem hic refert, Mauric. cap. 321. Læsiõ autem generaliter plenè probanda est. Myns. cent. 1. obs. 49. in fin. Quòd si tamen negotium suâ naturâ sit noxium, seu ex ipsius actus facie resultet læsiõ, ut in exemplo præscriptionis, læsionis probandæ onus remittitur. Myns. cent. 4. obs. 16. Et seq.

CXX. Nunc descendendum ad effectus in integrum restitutionis: quorum triplex erit inspectio: quando queritur, quinam sint primò, postquam restitutio est petita, nondum tamen obtenta: deinde postquam est impetrata, modò eâ quoque victor utatur: tertio denique, si impetratâ uti nolit.

CXXI. Quod prius attinet, postulatâ in integrum restitutione nihil novi fiat, sed omnia in suo statu, donec iudicium finiatur, maneat. l. un. C. in integr. restituit. postul. ne quid novi fiat. Cui consequens est, executionem sententiæ impediri & suspendi, si contra eam in integrum restitutio sit petita l. si ex causa 32. C. de transact. l. 2. in fin. ff. de re judic. Quòd si tamen præsumptio adsit, eam malitiosè, & ad differendam solùm litem peti, sententia executioni dari poterit; victore præstante cautionem, se restitutum omnia, quæ occasione executionis medio tempore perceperit, si adversarius in causâ prævaluerit. cap. suscitata. ext. de in integr. restituit. Myns. cent. 6. obs. 80. Et cent. 1. obs. 48. apud quem etiam plures videri possunt limitationes.

CXXII. Alterum quod attinet; si victor obtentâ restitutione utatur: quidam effectus respiciunt ipsum restitutum, quidam ejus adversarium, quidam etiam alios. De quibus ordine.

CXXIII. Effectus quoad ipsum restitutum in genere est, ut omnia in pristinum statum recipiat, ita ac si nihil gestum esset l. 24. §. pen. ff. de min. ut ex emto, pretium l. 27. §. 1. ff. eod. ex vendito, ipsam rem d. §. 1. ver si item ex diverso: ex obligati

obligatione susceptâ, liberationem l. 34. §. 1. ff. eod. ex actione amissâ, ipsam actionem l. 45. eod.

CXXIV. Et non tantum ipsa res amissa in restitutionem venit: sed etiam rei amissa in contractu bonæ fidei; vel omissa, quæ ex causâ legati & fideicommissi delata erat, usuræ, quas adversarius percepit, aut percipere potuit l. pateri. 27. §. 1. vers. ex quo scil. ff. de min: item fructus ex tempore celebrati contractus d. l. 27. §. 1. vers. item ex diverso l. 24. §. 4. l. 40. §. 1. ff. eod. Facit item l. 23. §. 2. ff. ex quib. caus. major. in integr. restit. In minorum enim personâ reipsâ in bonæ fidei contractibus, & fideicommissis, ac legatis, mora fit l. 3. C. in quib. caus. in integr. restituit. neceß. non est l. 3. C. de act. ion. emti.

CXXV. Interdum tamen restitutio non omnia in pristinum statum reponit. Minor enim in integrum restitutus abstinendi causâ, non desinit ipso jure heres esse l. 1. §. 7. ff. si quis omis. caus. testam. ab intestat. l. 30. §. 10. ff. de fideicommiss. libert. (quamvis nudo nomine heres maneat l. 6. §. 2. ff. de bonis libertor. l. 2. §. 8. ff. ad SC. Tertullian. non effectu d. l. 6. §. 2. & 3. ff. de bon. libert. l. 5. ff. de condiç. indeb.) quia qui semel heres extitit, non potest heres esse desinere l. 7. §. 10. ff. de min. l. 88. ff. de heredib. insti.

CXXVI. Vice versâ restituito adversus hereditatem omissam: si ea ab alio non est adita, Prætor hereditatem quidem non præstat: nam heredem facere non potest pr. Inst. de bonor. possess. vers. quos autem: sed heredem restituens, reponit in pristinum statum, in quo erat à principio, & sic tantum tollit impedimentum, quo adire impediabatur: si vero hereditas interim adita est, restitutus heres non fit, sed utiles actiones accipit l. 7. §. 10. ff. de min.

CXXVII. Sed nec libertates, quæ semel competierunt post additionem libertatum conservandarum causâ factam, minore in integrum restituito, revocari possunt l. 4. §. 2. ff. de fideicommiss. libertat. §. si is qui §. Insti. de eo cui libert. caus. bon. addic.

CXXVIII. Eodem modu nec restitutio minoris ad
cunda

eundæ hereditatis causâ, ad ea extendenda est, quæ antea
gesta sunt per curatorem bonorum decreto prætoris ad di-
strahenda bona constitutum. Ea namque rata habenda sunt
l. 22. ff. de min.

CXXIX. Sicut autem in integrum restitutio mino-
rem; ita quoque regulariter ejus adversarium in pristinum
statum reponit *l. 24. §. 4. ff. de min.* tantum scilicet reddendo,
quantum læsio abstulit *l. ult. ff. eod.* Quod ita intelligen-
dum est, si damnum adversarius immediatè & necessariò ex
iplo negotio, contra quod minor restitutionem impetravit,
accipiat: non verò, si id, quod vult restitui adversarius, rei,
de quâ principaliter agitur, necessariò non est connexum:
ut si minor adversus eum, cum quo tutelæ egit, restituitur:
non ideo tutori contrarium tutelæ judicium restituendum
est *l. 28. ff. de min.* quia potest esse actio tutelæ directa mi-
nori, ut tamen nulla contraria sit tutori, & contrâ, *Hillig. lib.*
21. cap. ult. lit. V.

CXXX. Hinc non contra solum restitutum mino-
rem, sed quandoque contra alium, puta si ad eum occasio-
ne rei gestæ commodum delatum est, adversarius restitu-
tionem habet. Nam si novandi animo minor pro alio in-
tercessit, ejus obligationem ab illo in se transferendo, & po-
stea in integrum restitutus est: creditori in veterem debito-
rem actio restituitur *l. ult. ff. de min. l. un. §. 1. C. de reputat.*
quæ sunt in judic. in integr. restitut.

CXXXI. Et hæc restitutio, quæ adversario contra
minorem datur, non tantùm est ipsius rei principalis, sed
etiam ejus accessionum *l. 40. §. 1. ff. de min.* Restitutus igitur
minor contra emtionem, venditori rem unâ cum fructibus
l. 27. §. 1. vers. prædium quoq. cum vers. seq. ff. eod. aut ex diver-
so contra venditionem, emtori pretium *l. 24. §. 4. d. l. 27.*
§. 1. vers. item ex diverso. l. 41. ff. eod. cum uluris *l. 47. §. 1. ff. eod.*
omnibusque expensis (exceptis voluptuariis *l. 32. §. 5. ff. de*
admin. & peric. tutor.) quas hic bonâ fide fecisse approba-
verit, reddere tenetur *l. 39. §. 1. ff. eod.*

CXXXII. Non tamen minor, sive ex ipsâ re, sive ex
ejus accessionibus l. 27. §. 1. *vers. ex quo ff. de min. plus adver-*
sario restituit, quàm ad eum pervenit l. un. C. de reputat. qua si.
Et c. id est, quatenus is locupletior factus est d. l. 27. §. 1. in
fin. ff. de min. l. 32. §. 4. ff. de admin. str. Et peric. tut. aut dolo
ejus factum, ne perveniret d. l. un. §. 1. C. de reputat. qua siunt
in judic. restituit. quia semper, qui dolo fecit, quominus habe-
ret, pro eo habendus est, ac si haberet l. 157. §. 1. ff. de R. J.
& paria sunt, locupletiozem esse, & in dolo habere l. 1. §. an
in pupillum ff. depositi: nam dolus pro possessione est l. qui do-
lo 131. ff. de R. J.

CXXXIII. Quandoque etiam restitutio tertio pos-
sessori, cui res Pratorâ cognitione ablata est, proderit.
Nam evictâ re per restitutionem in integrum, æquum erit,
per Pratorem secundo emtori in venditorem, à quo ipse
rem habuit, utilem de evictione actionem restitui l. minor.
39. in pr. ff. de eviction.

CXXXIV. Est & hic effectus restitutionis, ut ad litis
consortes, vel majores, extendatur in causâ individuâ; ubi
non potest minor sentire commodum restitutionis, nisi re-
stitutio consortibus communis sit, arg. l. si communem 10. ff.
quemadmod. servit. amitt. §. 1. 4. §. 3. & 4. ff. si servit. vindic.
Quod secus est, si res divisionem recipiat per l. un. C. si in com-
muni eademq; caus. l. 2. C. si unus ex plurib. appellat. VVesenb. in
par. C. si in communi eademq; caus. Hillig. lib. 21. cap. ult. in
not. lit. 2.

CXXXV. Denique illud hâc videndum, an ex mi-
norum restitutione etiam fideiussoribus eorum succurren-
dum sit. Et dicendum, quòd non, per l. 1. & 2. C. de fidejuss.
min. l. in causa 13. in pr. ff. de min. Sed id indistinctè admitti
non poterit. Interdum enim solet restitutionis auxilium,
etiam fidei jussori minoris prodesse, ut dicitur in l. 3. §. 4.
vers. sed an hoc ff. de min. Ubi sanè eadem illa restituti o, quam
minor impetrat, sufficit fidei jussori: quod satis probatur ex l.
13. in pr. ff. de min: quia ibi dicitur, in ipsâ illâ cognitione de re-
stituendo

rituendo minore etiam hoc versari, utrum soli minori, an
verò etiam fidejussoribus ejus succurrendam sit. Et quidem
succurritur fidejussori ex eà restitutione per exceptionem
l. 7. §. 1. ff. de except. Quòd si igitur minor dolo adversari læ-
sus sit, manifesti juris est, utriusque personæ, tam minori, quàm
fidejussori ejus, consulendum esse: sin verò fragilitate ætatis,
minoris restitutio fidejussori non proderit *l. 2. C. de fidejuss.
min. l. 7. §. 1. ff. de except.*

CXXXVI. Tertium & ultimum quod attinet: victor
impetratâ restitutione uti non cogitur. Nam si poenitentiam
actâ malit in ea causâ manere, in quam contrahendo incidit,
quàm adversario ea, quæ ab ipso habet, restituere, adversa-
rium quasi ex causa judicati agentem, utili exceptione sub-
movebit *l. 41. ff. de min:* quia ea, quæ pro se introducta sunt,
unicuique contemnere licet *d. l. 41. l. pactum 46. in fin. ff. de
pactis l. pen. C. eod.* & quod pro minoribus excogitatum est,
non debet adversus ipsos observari *l. 3. §. 5. ff. de Carbon. e-
dict.*

CXXXVII. Superest, ut videamus causas, restitutio-
nem excludentes. Excludit restitutionem dolus ementitæ
ætatis, id est, si minor adversarium dolosè decipiens, se ma-
jorem mentitus fuerit; sive extra iudicium *l. 2. C. si minor se
major;* sive in iudicio *l. 3. in pr. C. eod. l. 32. ff. de min.* Deceptis
enim, non decipientibus, subveniendum est *d. l. 2. C. si min se
major. dix.* Quòd si errore ductus, aut facto adversarii de-
ceptus, se majorem dixerit, restitutio non cessabit *l. 1. 3. &
ult. C. d. r.*

CXXXVIII. Simili modo excludit restitutionem as-
severatio majoris ætatis facta à minore in instrumento per
sacramenti religionem: nisi palàm & evidenter ex instru-
mentorum probatione, non per testium depositiones, se fu-
isse minorem ostenderit. Hujusmodi verò sacramento
corporaliter præstito, nullum supererit auxilium *l. pen.
C. d. r.*

CXXXIX. Excluditur etiam restitutio, si pubes jure-
jurando

Jurando sponte sua caverit, se nihil facturum contra ea, quae gesta sunt l. 1. junct. *Ausb. sacramenta puerum C. si advers. vendition.*

CXL. Idem est, si quis post legitimam aetatem ea, quae in minore aetate gesta sunt, rata habuerit l. 1. & 2. C. si major factus ratum habuer. Hinc quaesitum est: si minor hereditati se miscuerit, majorque factus exegerit aliquid a debitoribus, an, quasi major factus comprobasset, quod minori sibi placuit, restitutio cessaret. Et responsum est, non cessare l. 3. §. 2. ff. de min. Non tamen animo retinendae hereditatis, quam necessitate susceptae hereditatis, ne quid interim de ea culpa sua pereat, a debitoribus exigere debitum hereditarium censetur. *Bocer. cl. 6. disp. 10. sb. 78. Hillig. lib. 21. cap. 21. lit. Bb.*

CXLI. Amittitur quoque, si quis major factus restitutionis liti renunciaverit; sive expressè l. 20. in fin. cum l. seq. ff. de min. sive tacite, contrario scilicet actu, ut in specie l. 30. ff. eod. quia remittentibus actiones suas non est regressus dandus l. 14. §. 9. ff. de edil. edict.

CXLII. Denique extinguitur restitutio praescriptione quadriennii l. 1. & 2. C. advers. solut. a iur. vel a se fact. l. fin. C. de tempor. in integr restitut. De quo cum supra dictum sit, nullà hinc repetitione opus est.


CXLIII. Et haec quidem (non pro materiae dignitate, sed pro ingenii tenuitate) de iudicio, uti vocant Dd., rescindente. Quae verò ab iisdem de iudicio, quod vocant rescissorium, traduntur, non est mei instituti, persequi. Sit igitur finis;

ET DEO LAUS, HONOR ET GLORIA
IN SEMPIERNUM.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

ET DEO LAUS HONOR ET GLORIA
IN SEMPER





Wittenberg, Diss., 1634-39


ULB Halle 3
005 151 511



TA → OL

VDA 7







TIO JURIDICA 2a
 DE
EGRUM
 TIONE MINO-
 XV. ANNIS:
 QUAM,
 PIRANTE GRATIA,
 RÆSIDE
 ET CONSULTISSIMO
 VIRO,
INGO Grossen/
 cc. PRÆCEPTORE
 TORE SUO PL. HO.
 RANDO,
 O JC.TORUM ILLUSTRIS
 TTEBERGENSIS
 L. HORIS A VII. MATUTINIS
 VENTILANDAM
 OPONIT
 PHUS vom Code
 ERA-BRUNSVIG.
 TTEBERGÆ
 US ROTHUS ACAD. TYPOGR.
 o 13 CXXXVII.

5/2

VZ-

